

Capoue, 6 décembre 1603. Bellarmin à Fran<sup>çois</sup> Lucas à St.Omer.

---

1 Admodum R<sup>de</sup> et eruditissime Domine. Literas tuas mense Au-  
gusto datas accepi hac ipsa die, quae est sexta decembris. Grati-  
simum fuit in memoriam revocare amicum suavissimum, et virum modes-  
tissimum. De libello ad me misso gratias ago, sed scias velim, bi-  
5 blia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata: multa enim  
de industria iustis de causis pertransivimus, quae correctione in-  
digere videbantur. Variae lectiones, quae in bibliis Lovaniensibus  
habentur, et in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi vide-  
bantur omnino addendae, quippe quae instar bibliothecae mihi esse  
10 videntur; sed non placuit aliis ut in prima editione apponerentur.  
Quod attinet ad illa verba, **D**e trina Deitas, quae in breviario nu-  
per correcto emendari cupivisses, eadem erat mea sententia, et iam  
ego monueram, ut pro trina Deitas, summa Deitas, restitueretur;  
sed religioni fuit Patribus verba sancti Thomae, quae habentur in  
15 2° tomo opusculorum, in officio de festo Corporis Christi, vel mi-  
nimum immutare; qua etiam de causa hymnos sancti Gregorii, vel a-  
liorum Patrum intactos dimisimus, cum alioqui multi errores unius  
syllabae, vel literae mutatione aliquando corrigi potuissent. Id  
unum propositum nobis fuit, ut errores solum intolerabiles, pree-  
20 sertim qui in historiis lectionum secundi nocturni irrepserant,  
tolleremus. Vale sacerdos doctissime, et optime, et me in hac vinea  
Capuana laborantem orationibus tuis iuva. Datum Capuae die sexta  
decembris 1603.

---

[ F. B. 5, f.117. Minute autogr. F. B. 9, Ep.43, Copie. Anvers,  
25 Musée plantin, Ontvangen Brieven LXXXVII, f.335, copie; publiée  
par M.le Chan.de Schrevel: Documents pour servir à la biographie  
de Fran<sup>çois</sup> Lucas, lettre 44, p.63-64. ]